



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Liber V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

## EVANGELIUM

petitione Iacobi & Ioannis, quàm insolescat caro. Nam hi duo petunt sibi dari à domino primatū in regno Christi: quos tamen sic compescit ut alijs quoq; eximat ambitionem & inuidiam, inserat autem modestiam & humilitatem. Sicut & in historia Bartimæi fidem inculcat.

Cap. 11.

Post hæc urbem Hierosolymorum regia ingrediens pompa, ostendit se esse uerum & expectatū Messiam, regem & sacerdotē populi dei. Iccirco pro officio suo eijcit è templo ementes & uendentes. Execratur mox ficum, in quo adumbrat tristia Hierosolymorum fata,

Cap. 12.

atq; rursus docet fidem. Opponunt se illi pharisæi & primates Iudæorum, & interrogant qua authoritate id faciat quod facit? quos opposita questione retundit ualidissime. Postremo annunciat ipsis iudicium dei, excidium uidelicet & reiectionem, quam sua culpa nulla dei morositate sint passuri.

## LIBER V.

**R**ESPONDET porrò dominus mira cum modestate ad quæstiones aliquot opido utiles & necessarias. Principio enim disserit de magistratu, iubens ei quod debemus pendere. Deinde refutans Sadducæos, Valentinianorum & Marcionitarum patriarchas, asserit resurrectionē mortuorū, uitamq; futuri seculi. Postea disputat



disputat perspicue de scopo & argumento totius scripturæ siue legis diuinæ. Præterea ipsis quoque aduersarijs suis quæstionem proponit, qua demonstrat se esse Messiam uerum, naturæ geminæ, uerum utique deum & hominem.

Ceterum cum aduersarij, sacerdotes inquam & scribæ, nulla ueritatis perspicuitate & euidentiâ mouerentur, sed sui similes perpetuo pergerent plebem & seducere corruptis traditionibus & inexplebili habendi cupiditate deglubere, admonet plebem dominus, ac præcipit ut caueant ipsorum doctrinam. Ad hæc multa & magna ipsis impingit scelera, inter alia uero auaritiâ & sacrilegia. Ne quis tamen frustra facultates ad conseruationem rerum ecclesiasticarum conferri putaret, ualde commendat cuiusdam uiduæ donum gazophylatio illatum. Postremo omnium, prædicit imò pingit excidium & ruinam templi Hierosolymorum splendidissimi, urbis antiquissimæ & orbis uniuersi. Adijcit & signa calamitatisque quæ præcessuræ sunt, significatrices inexplicabilium malorum. Et quoniâ seruare non perdere cupit genus mortalium dominus, hortatur omnes ad preces & uigiliam. Cap. 13.

## LIBER VI.

**D**ESCENDIT iam Marcus ad absolutam salutis nostre perfectionem, nempe ad salutaris salutis Cap. 14.

D